

EREM,,

AS PARTES DISTRIBUTA.

nantur, ut leones, ferula.
 tam mane quis ad fores proximat?
 erreus virgarum praepotens,
 i virgis voluntatem sustinet.
 s ipsi servitatem serviunt!
 hercule ipse mihi nunc praesagit.
 pestas ingruit quae capit!

SCENA II.

EUSEBIUS et AMBROSIUS.

s tu! Ambrosi!
 Quid iubes?

Audis?

Audio.

us sum! Dic, iube; quid vis, impera.
 erba multa sint, audis? Haud per-
 [velim.
 is....

Tace, sis!

Taceo.

Scias, propediem
 exercitia....

Dic, quaeso, repe-
 xercitia! Quae rerum novitas?
 it quotidie nempe exercitia,
 us nervos et artus exercent cor-
 [poris....

I ergo mirum?

Miror quod mireris, vetule!
 enit pius magister inclutus,
 os nempe multis et virtutibus,
 ii Taurini celebratur maxime.
 nominatur? Dicitur quo nomine?
 bit arma, dicis, Sacerdos?

Utique!


(maximum numerum).

I. B. FRANCESIA.


JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

- TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELIGIONE
 TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Derna* (in Cyrenaica), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Lucca*, *MALTA*, *MILANO*, *Mondovi* (cum off. in opp. *Carri*), *Montblanc* (in Hispania), *NAPOLI*, *Orbetello*, *Oriente*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Siena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, *TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

NUMMARIAE MENSAE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore convenientium est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensum sex; 4 1/2 %, si mensum duodecim; *c*) parsimoniae fovenda sub specie, annuo fructu 3,60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exteris numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus et Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores**. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xylina structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam**, Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae**, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI **De poëtis et numeris latinis**. – Lib. 1.

Ann. V.

AI

LAT

Pretium annuae

march. 10; ru

FORNARI doc

Quadringen

ab initia

his

Quadringen
quo Martinus Lu
nitatis Omnim
bus suis ad val
tembergensis, p
signum defectio
sia; quod initium
Germani tantu
amarissime lux
pseudo-reforma
sertim in septen
fundae exagitave
vitam christiana
principum, cupi
tione magistrat
rum, satis notur

Sed et Italia
lumen catholica
batur in orbem
corrumpere min
imo aliquando p
ribus modis et
et permeavit reg
sitas; attigit cui
ros, sive doctos

nae in propriis aedibus
za S. Marcello)

d exteris civitates:

Egypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in MILANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Montia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

TIONES ET NEGOTIA.

nomine accipit: a) iuxta quotidianas data facultate quotidie exigendi usque 20; dierum quatuor, lib. 50.000; pro b) computationibus pariter quotidianis, ensium sex; 4 1/2 %, si mensium duolib. 3.60 %, cum facultate quotidie defelib. 300. De maiore vero summa manseptem usque ad lib. 5000; ad dies

riptiones compensat duarum personae tres solvendas; idque pro omnibus stium ad formam, iuxta italicam legem provincia requirentibus subvenit; c) in t sub praesidio fundorum publicorum, privatae; d) litteras emitit ex credito in maxima aguntur; e) exteros numeres in custodiam accipit, pro iisque Nummariae sunt.

AE,, Sociis

latine scripta venum dantur,

culi prandium, Milesiae ea facile agendis. - Singulae

novi flores. - Si teguareoque titulo, lib. 2,25. omam, Actiones drama-

e, Milesia fabula. - Lib. 1. tinis. - Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

Quadragesimo redeunte anno
ab inita Lutheri "reformatione",
historiae memoriae

Quadragesimus iam redit annus ex quo Martinus Lutherus, in peregrinatio solemnitatis Omnium Sanctorum, affixis thesibus suis ad valvas Ecclesiae maioris Wittembergensis, primum dabat et publicum signum defectionis a Sancta Matre Ecclesia; quod initium malorum fuit, unde non Germani tantum, sed tota paene Europa amarissime luxit. Quam cito pestis illa pseudo-reformatoria sese diffuderit praesertim in septentrionales partes, quam profunde exagitaverit plebes ad destruendam vitam christianam, suffulta ambitionibus principum, cupiditatibus civium, corruptione magistratum etiam ecclesiastico rum, satis notum est.

Sed et Italiam nostram, unde tantum lumen catholicae vitae semper diffundebatur in orbem, malum istud pessimum corrumpere minatum est. Subdole enim, imo aliquando publice et aperte et pluribus modis et repetitis vicibus, irrepensit et permeavit regiones nostras etiam dis-sitas; attigit cuiuscumque conditionis viros, sive doctos sive rusticos, sive eccl-

siasticos sive populares, ita ut proximum apostasiae a fide periculum fuerit, prout historia quotidie novis documentis in lucem prolatis amplissime testatur. Et si revera multa etiam in Italia talia erant, quae praetextui esse poterant molitoribus rerum novarum ad flagitia sua complenda; quomodo factum est ut ex Italia virus haereticum omnino extrusum sit? Huic quaestioni diversimode pro partium studio responsum est.

Tribuunt quidam, praesertim exteri, hoc factum indoli populi Itali, qui, intentus litteris, artibus, fastui, commerciis, iuris prudentiae, ineptus sit ad comprehendendas spirituales quaestiones; eius religiositas, aiunt, est tantum exterior et non attingit quae sunt spiritus, neglit mystica contentus sensualibus. Ineptum et iniuriosum iudicium! Agitur enim de solo unde exorti sunt s. Benedictus et s. Franciscus, s. Bernardinus Senensis et Hieronymus Savonarola, s. Gregorius VII et s. Gregorius Magnus, Dantes et s. Catharina Senensis, s. Caietanus Thienaeus et s. Philippus Ne riarius; de solo, inquam, quo bona quaeque confluxere, unde optima quaeque diffusa, comprobata, auctaque sunt.

Callidae machinationes, - aiunt alii, - Romanorum Pontificum contra novatores, vehementes coercitio per Sanctam Inquisitio-

nem, auxilium imploratum et praestitum a principibus italicis, quibus rationes politicae suadebant confoederationem cum Pontifice Romano, et insuper ferreum regimen, rigida disciplina interna Ecclesiae catholicae compescuerunt liberos ausus reformatorum, qui divisi, prout erant, inter se, incapaces fuerunt paribus armis dimicandi. Sed unde tam efficax concursus causarum favorabilium? Quomodo factum est ut fere nullibi in Italia haereticae seditiones praevaluerint? Huc semper reddit quaestio. Specialis Dei providentia adstitit Italiae, ubi mala, quamvis enormia, non erant irreparabilia, sicuti primo aspectu apparebat. Hic optimi pontifices adiutores habuerunt viros sanctissimos, qui Ecclesiae subvenerunt precibus et opera. Sed, praeter viros in canonem sanctorum relatos, quot alii sunt, qui virtute et operibus, scriptis et doctrina, exemplo et praedicationibus, vires suas in salutem Ecclesiae contulerunt! Permulti enim erant, qui animos componentes ad virtutem et scientiam, iam a prima iuventa anhelabant ad meliorem vitae religiosae progressum, mala lamentabantur, salutem exspectabant confidentes Christum non defuturum Ecclesiae suae. Multi etiam fuerunt qui, quum indulsisserint aliquando et aliquatenus saeculi illusionibus, commoti exemplis et suasionibus, perterrefacti et instructi ex iis quae trans Alpes accidebant, animos ad meliora converterunt et, facti firmiores in fide, mente et corde, seipsos reformati et, vires ad invicem conferentes, ad reformationem ceterorum intenderunt.

Liceat mihi hodie quaedam hac in repro temporis brevitatem saltem innuere et proferre, quae minus nota sunt.

* * *

Satis vulgata opinio est, studium litterarum latinarum et graecarum et exaggeratam admirationem erga scripta et philosophiam antiquorum scriptorum nimium va-

luisse ad detorquendos animos plurium studiosorum, et occasionem non remotam praebuisse ad corruptendos non tantum mores, sed etiam mentes. Et hoc ultro fatemur; qua enim re, etiam optima, non abutimur? Sed animadvertisendum est etiam ex hisce studiosis et eruditissimis viris plurimos surrexisse sapientes et purissimos Ecclesiae defensores. Nonne et ipse rigidissimus Io. Petrus Carafa, postea Paulus IV, fuit optime instructus, ita ut etiam in extrema senectute memoriter diceret versus latinos?

Aleander ipse, qui, nuntius in Germania, scribens Vice Cancellario de Hutteni conviciis, querebatur fuisse in Urbe complures viros qui insulsis carminibus concederent virtutem illam, quam adhiberi oporteret in fidei defensionem, ex hisce viris eruditis erat, quamquam iam tunc operam suam conferebat in bonum Ecclesiae.¹

Sed maximum lumen et vere magister et dux fuit Ioannes Matthaeus Gibertus siculus, datarius Clementis VII, qui, post direptionem romanam, relicta curia, se contulit in suam dioecesim Veronensem et eam reformavit ad rectam disciplinam, studia sacra, praesertim sacrae Scripturae, magnifice promovit, optimos magistros vocavit, admirationem et plausum in

¹ Exponebat Aleander Farnesio curam Hutteni et sociorum eius in componendis et corrigendis scriptis contra sacerdotes catholicos, et postea sic comparationem instituebat cum poëtis et oratoribus Romae commorantibus: «alla barba de' nostri oratori et poeti che sono costi a Roma, che stanno solo in far quattro verseti al mese et calumniar l'un l'altro sopra una paroletta, che doverebbero esser unanimi, et horamai ancor loro scriver d'accordo in defension della fede cum quelli buoni ingegni et iudicii che farebbero cose excellenti et sarerebbero la bocca a più di sette di questoro, li quali solum cum la poesia et arte oratoria (si Deo placet) al presente appreso il vulgo hanno preso tal credito come havessero posta la vera Theologia sotto piedi» (*Monumenta Reformationis Lutheranae*, collegit P. BALAN, 1884, p. 156).

se excitando quotquot vere diligebant Ecclesiam.

Eius amicissimus erat Gaspar Contarenus, qui, laicus et magistratus Venetiarum, inter patres cardinales cooptatus, Paulo III adstitit in difficillimis tunc temporis negotiis. Suffragante Contarenio, cardinales, praeter alios optimos, creati sunt Gregorius Cortesius, monachus s. Benedicti, et praesertim Reginaldus Polus. Hic vir, Anglus, exsul a patria sua, ne cogeretur consentire tyrannidi Henrici VIII, Patavium pervenierat ut in studia litterarum et theologiae inumberet, et familiari consuetudine utebatur cum Giberto et Contarenio et eorum amicis, et cum Fracastoro, cum Benedicto Lampridio, Hieronymo Negri, Lazaro Bonamico, et Marcantonio Ianua philosopho. Penes Gibertum cognovit Polus praesertim quemdam clericum Suessanum, cuius nomen ad vulgus etiam pervenit ob celeberrimum opusculum, quod eius nomen refert, *Galatheum*, nempe Galeatium Florimontium. Post officia integerrime gesta, praesertim in alma Domo Lauretana, factus episcopus Aquinas, curam ille gessit Ecclesiae Neapolitanae ex mandato Pauli III; interfuit Concilio Tridentino, creatus denique a Iulio III episcopus patriae suae, ibi vitam longaevam dignissime clausit.

Addictissimus Contarenio, intimus Poli, quem semper deinceps subsecutus est, fuit quidam nobilis vir venetus, Aloysius Priillus, qui, rogatus ut secretarius esset Concilii Tridentini, officium declinavit; electus episcopus Brixensis ecclesiam hanc adire non potuit, et demum mortuus est, quum in eo esset ut vocaretur ad sedem Veronensem. Amicus Giberti et Florimontii, amicus Marci Antonii Flaminii et postea etiam Victoriae Columnae, Priillus, optimis artibus imbutus, severam vivendi normam semper servavit, praesertim quando post reliquam domum et tranquilla otia Patavina, Romam secutus est Contarenum et Polum. Patavii cognoverat, et Romae

revisit, Antonium Beccadellum Bononiensem, cui suaserat ut adhaereret Contarenio in secretarii officio: Beccadellum, inquam, postea archiepiscopum Ragusinum et semper ardentem in vera Ecclesiae reformatione. Et simul cum Beccadello adamavit Priillus Cosimum Gerium Pistoriensem, optimae indolis adolescentem et iam electum in episcopum Fanensem, ob sanctitatem morum, ingenii excellentiam, doctrinam singularem omnibus carissimum, quem mors abripuit, quando iam, episcopatus cura suscepta, experientiam in regendo ostendebat superiorem aetate. O sanctas amicitias, quas non alebant tantum communia studia, sed et virtutum aemulatio, et amor Ecclesiae!

Et his amicis adiungendi sunt et quodammodo discipuli vocandi, quamvis supparis pene aetatis, Ioannes Moronus mediolanensis, celeberrimus cardinalis Pauli III, et insuper Marcus Antonius Amulius et Bernardus Navagerus, ambo nobiles veneti sanctissimae vitae, ambo legati reipublicae suae penes Pontifices Romanos, ambo simul a laicorum statu in collegium Cardinalium a Pio IV cooptati, et digni qui cum s. Carolo Borromaeo nominentur.

Notus his omnibus, amicus cum Beccadello et Gerio vitae et studiorum consuetudine, sed non certe morum paritate, erat Ioannes Della Casa.¹ Priillus vero nunquam amicitiam confovit, neque eum magni fecit.

Qui quidem Priillus, non unicus certe, sollicitissimus fuit de residentia episcorum. Ipse litteris instituit penes Verge-

¹ Scribebat enim illo de Priullo quem ad se Romam miserant Beccadellus et Gerius: *Venne il Priuli, al quale farei volentieri..... carezze et comodo..... ma non ardisco invitarlo, che mi pare tanto dato allo spirito, io sono... poco divoto, e vivo alla libera; né posso io così al primo lasciar questa lunga usanza mia: come che, per quanto intendo, esso e M. Galeazzo non sono però disperati dell'anima mia.*

rium, quando hic adhuc catholicus ambiguë se gerebat in curia Cesarea, ut rediret ad dioecesim suam Iustinopolitanam et, relictis politicis machinationibus, intenderet ad curam animarum. Et utinam turbidus ille vir perseverasset in promissis quae Priullo fecerat!

Etiā Florimontius sollicitum se ostenderat de residentia episcopali, sed tamen, post negotia bene gesta, post commorationem diuturnam Tridenti et Bononiae Concilii gratia, amore urbis captus, morosior factus est in adeunda dioecesi sua. Tunc Priillus doctissimo amico concinnos inscripsit elegos, unicos fere versus quos ex eo accepimus:

*Si cupis ex animo cognoscere quid sit agendum
Nunc tibi, iam temet consule, non alios.
Te nemo id melius poterit tibi dicere, si quae
Saepe aliis dixi, dixeris ipse tibi.
Diceret et quae Gibertus, si viveret: ah quid
Dic miser, ah Romae quid Galathee facis;
Oblitus decorisque tui, sponsaque salutis
Pro qua vel vitam ponere debueras! ...
Rustica sit quamvis: tamen est vel amabilis uno hoc
Nomine, quod te unum diligit atque vocat.
Rumpe moras, moneo, sponsam ne sperne vocantem;
Dic miser ah Romae quid, Galathee, facis?*

Et iterum:

*Rumpe moras, iterum moneo, Galathee, supremum
Hoc est quod moneo: plura monere vtor...
Hoc te Flaminius, Gibertus et ipse moneret
Si campis redditus detur ab Elysiis.
Et nunc cunctantem te miraretur uteque:
Nunc certe insanit, diceret, iste senex...
At tu blanditiis formosas Amaryllidos¹ eheu
Illectus, sponsam decipis, atque gregem.*

At excusator aderat Ioannes Della Casa, qui nunquam fere resedit in sua dioecesi Beneventana; sed frustra Priillum obiurgavit:

*Tu ne ausus, Priuli, Galatheum pellere ab urbe
Asperaque in dulcem dicere verba senem?
Tu ne auctor Romae montani ut munera vici
Fumosi, ut curam praeferat ille laris,
Aureus ille senex, vitae cui licia Parcae
Intacta ducunt, candidiora nive.*

¹ Nempe Romae.

Nam revera Florimontius, obtenta a Iulio III sede Suessana, constanter postea in ipsa resedit.

Nec leniorem sese ostendit Priillus in Paulum Sadoletum, episcopum Carpencratensem, nepotem clarissimi cardinalis Iacobi, quando hic, vocatus a Iulio III, venit ad Urbem, ut pontifici esset a secretis. Amicitia non obcoecavit Priullum in re tanti momenti.

Etsi Priillus non potuit accedere ad sedem suam Brixensem, curam e contra gessit cum Polo ecclesiae Cantuariensis, quae erat prima in Anglia, sedulus in instauranda fide catholica, incorruptus in negotiis, fortis in adversitatibus, dignus revera qui a legato veneto in sua relatione ad ducem et senatum Sanctus vocaretur.¹

Sed, fractus laboribus et morbis, Priillus post viginti menses subsecutus est Polulum suum ad sepulcrum; illacrimatus ab optimo quoque, praesertim a cardinali Seripando, amicissimo suo, a Beccadello, a Mutio Calino, episcopo Iadrensi, uno ex auctoribus Catechismi Romani.

Elegos Priilli habuit, puto, sub oculis Io. Antonius Vulpius senior, notus foro, notus et Musis. Regebat ille dioecesim Comensem, absente Romae episcopo Bernardino Cruceio; sed fractus animo, ingravescente in diem colluvie malorum et insidianibus undique haereticis. Heroicis versibus et ipse vocabat pastorem ad gem suum, pulchritudinem sponsae exaltando, eiusque amorem et fidelitatem. Sed adiungebat etiam pericula ex haereticis incumbentia, alloquens nomine ipsius ecclesiae Comensis Cruceium:

*Aspice ut absentem spernat te inimica deorum
Gens alpina, genus durum, miscere profanis
Ausa sacra. Officio prohibet parere clientes...*

¹ Non manco integro e buono, per non volere per modestia, come giustamente doverei dire, veramente santo ... dotto e savio, atto ad ogni maneggio e ad ogni grande impresa e sopra tutto degnissimo della grazia e protezione della serenità vostra.

*Quin etiam posuit pecori, pecorisque magistris
Insidiis; demum ausa greges vi avertere aperta,
In nostrisque oculis ovium iugulare magistros.
Hic etiam se se occultant in vallibus imis,
Insultantque ovibus miseris ursique, lupique
Quos morsu assiduo et latratu fida canum vis¹
Exercens, tandem Italiae omnibus expulit oris...
Ipse quidem Damon² curam, te absente, peculi
Cui dedimus, praesto est animo, nec frangitur armis;
Consilio et toto quae sit orbe molassis,
Pro gregibus pugnat, proprioque arcere periclo
Nititur insidiis, vimque incursusque ferarum;
Sed tamen et numero multum est et viribus impar.
Quos tua dat monstris animos absentia, franget
Sola tui adventus fama, atque iugo effera colla
Sponte dabunt, quoniam te portis effusa iuventus
Frondibus accipiet festis, et carmine sacro.*

Sed ipsi Vulpio stetit certamen contra haereticos vallium Comensium, quando, renunciante Cruceio, ipse factus est episcopus, et revera bonum certamen certavit. Sed tunc demum ei adstitit Carolus Borromaeus, cui coniunctissimus fuit: Borromaeus, inquam, non tantum morum, sed etiam studiorum quadammodo reformator, quatenus et ipse exstitit literatorum viorum assecla et fautor eximius.

Sicut enim Lutherus, prout iam Alean der animadvertisit, adiutores et propagatores habuit grammaticos et rhetores, qui inani superbia tumidi, destruxerunt simul et Ecclesiam et bona studia; ita etiam scelestissimus ille occasio fuit ut quod bonum, quod iustum erat, praesertim in Italia nostra, paullatim ordinate et sancte, exureret in aedificationem, ita ut non Ecclesia tantum, sed et scientiae optimum inde traherent incrementum.

Sed certe admirandi viri illi, vere suscitatores operum, fideles Christi ministri, qui in maximis Ecclesiae periculis, per invia et devia, per labores innumeros, constantes semper et firmi, spernentes opprobria inimicorum, sed aliquando etiam civium suorum, novam ecclesiae iuuentutem condecoraverunt! Instructi litteris,

¹ Scilicet « inquisitores ».

² Nempe Vulpius ipse.

enutriti studiis assiduis, bona animorum suorum contulerunt in opem Ecclesiae. Vocati et missi interdum quo non tendebant, quo nunquam putabant se posse vocari et mitti, quippe qui ad eruditionem, ad otia litterarum, ad negotia publica tantummodo animum intendebant; relictis omnibus, secuti sunt Iesum vocantem; exemplar et monitum nihil dulcior, nihil gloriosius esse quam reddere duplicita, spirituali foeratione, talenta accepta, et conferre in aedificationem ea quae occasio erant superbiae et scandali. Et eorum sanctitas splendidior elucescit, si cum eis comparentur eorum adversarii, qui « non moribus corrigendis, sed negandis Fidei capitibus animum intendententes, omnia miscebant, et latiore sibi aliisque muniebant licentiae viam »,¹ qui perpetuis conviciis et delationibus ad invicem sese insectantes et dilacerantes, oves errantes sine pastore, perniciem omnibus paraverunt et turpisimum exemplum de se reliquerunt.

Hi quidem, - ut concludam pontificis verbis, - « rebellium tumultum et illam fidei morumque cladem appellant instauracionem, sese autem disciplinae veteris restitutores. Re tamen vera corruptores exstiterunt, quod, extenuatis Europae per contentiones et bella viribus, defectiones horum temporum et secessiones maturarunt, quibus, uno velut impetu facto, triplex illud, antea disiunctum, dimicationis instauratum est genus, a quo invicta et sospes Ecclesia semper evaserat, hoc est primae aetatis cruenta certamina; domesticam subinde pestem errorum; denique, per speciem sacrae libertatis vindicandae, eam vitiorum luem ac disciplinae eversi nem, ad quam fortasse nec aetas media processerat ».

P. PASCHINI.²

¹ Encycl. « Editae saepe » de S. Carolo Borromeo (*Act. S. Sedis*, 1910, p. 362).

² Dixit studiis auspicandis an. MDCCCVIII in Seminario Maiori Lateranensi.

**DE DRAMATE SACRO PETRI CALDERON,
CUI TITULUS MYSTERIA MISSAE**

Ut aliquod ferremus solatium, vel inter tot rerum lacrimas, consilium fuit in praesenti lectores nostros obiter abducere ad praeclara quaedam comicorum scriptorum opera enucleanda, qui, raro exemplo, ut vere hominum mores castigarent melioresque redderent, ceteris posthabitis, ad religionem omnino spectarunt, atque ab ipsa, veluti ab altissima fonte, complura religionis mysteria in dramatum argumenta mirifice derivarunt. Hodie igitur, in animo est nonnulla in medium referre de Petri Calderon opere, cui est titulus: *Mysteria Missae*, quod abhinc aliquot annos actum fuit Basileae apud Helvetios.

Hoc memorabile opus perficere ausus est Iuvenilis quidam coetus paroeciae sanctae Matri dicatae, quae, vel inter dissidentes, in dies, tum numero sociorum tum pietate, in exemplum elucescit, adnitentibus potissimum sacerdotibus, quibus est omnium societatis rerum munus demandatum. Hi, securis animis, primum post improbam Calvinianam superstitionem, rem adeo sacram ad publicum actitare coeperunt. Et omnes cordatissimi viri, qui mirabili actioni interfuerunt, id unanimiter adprobaverunt, et magnis plausibus laudarunt. Nec ipsa nocuit vetustas. Namque decens omnibus visa est, et quamquam post ducentos et amplius annos, aetatis nostrae notam referre quisque sentiebat animosque spectatorum mirum in modum alliciebat. Et quod mirum omnes certissime iudicabunt, semel atque iterum eadem est actio renovata, ut universae civitatis voluntati actores satisfacerent.

Quo facto, quum Vindobonae, anno millesimo noningentesimo et duodecimo, universalis Congressus ageretur de SS. Sacramento magis inter christianos excolendo, et incredibilis civium advenarumque esset

frequentia, iis qui festivos apparatus in urbe compararent, nihil aptius, nihilque devotius visum est, quam haec ipsa *Mystera Missae*, inter magnam rerum congeriem, in vulgus recitare.

Dolendum sane quod Mediolanenses, quum apud illos paulo post sacer idem Congressus ageretur, ceteroquin amplissimus ob magnam Episcoporum frequentiam atque civium, frustra hac de re adlaboraverint. Quidquid fuerit, iuvat breviter summa omnis huius actionis capita spectare.

Prodit primum in scenam *Ignorantia*, quae maxime queritur quod sit rerum religiosarum expers, et studiose quaeritat qui sibi 'hac in re laboranti opem ferat. Adparet ei praesenti auxilio *Sapientia*, a Deo ad hoc missa, ut eam recte ad religionem excolat, atque dubiis omnibus exactis, in ea animum confirmet. Tunc *Ignorantia* postulat, ut sibi mysterium Missae, cui interesse consuevit, humaniter resolvat. Hisce dictis, adtollitur aulaeum, et cernitur Adamus, qui patrati criminis molestia confectus, humili prostratus, effusis lacrimis, a Deo tandem misericordiam veniamque implorat. *Sapientia Ignorantiae*, quacum in scena moratur, seorsum narrat hoc esse quodammodo Missae initium, *Confiteor* scilicet, ut nos dicere consuevimus.

Paulo post, Moyses Adamum excipit et mira admodum maiestate praeditus; quem multi comitantur Angeli divinarum legum tabulas ferentes, cum Arca foederis. Moyses Deum enixe precibus ambit ut Salvatorem mittat ad homines revocandos et tenebroso loco ad lucis splendorem.

Et tunc *Sapientia* monet hic esse Missae introitum, seu *Kyrie*.

Hactenus puerorum coetus flebile omnino canticum meditatur; quum, praeciente Ioanne Baptista, illico exauditur, per aërem leviter advolans, cantus *Gloria* mira suavitate contentus. Deus enim universi humani generis preces benignus accepit,

Filiumque Unigenitum Iesum Christummittit. Ineunte *Gloria*, « caelum tonat omne fragore » et aulaeum secundum tollitur, quod abditam adhuc scenam tegebat. Ecce Christus, ab Angelis atque Apostolis circumdatus et divino splendore resplendens; stat in altari, quod omni scenae imminent. Buccinae cantusque festivi exaudiuntur, quae cum *Gloria* agitant primum et vi incognita turbant Hebraeos deorumque factorum cultores ad Iesum Christum longe pellegendum, quorum primi opem a Paulo postulant. Magna vero animi securitate ac vultus gravitate, Iesus Ioanni innuit, qui amore caelesti exardescens et divino spiritu afflatus, Christi divinitatem insigniter praedicat et roborat. Quare summopere Saulus concitatus, extenso gladio, in Ioannem irruit. Hic mira vox exauditur: « Saule, Saule, cur me persequeris? ». Et aggressor, humili procumbens, mirabiliter Iesum Christum agnoscit, eumque Filium Dei libero ore confitetur. Atque adeo Saulus in Paulum mutatus, ad Salvatoris pedes provolutus, immortalem illam epistolam ad Hebraeos dicatam conscribere coepit, et elata voce pronunciat, dum Ioannes auditoribus narrat initium sui Evangelii: *In principio erat Verbum*. Verbis interea dulcibus iisdemque gravibus Salvator in mentem revocat, haud satis esse divinas res audire atque videre, quoniam Evangelium sibi vult fidem virentem, et Ioannes cum Paulo mirum in modum alternisque sermonibus *Apostolorum Symbolum* canunt. Quod equidem inter Gentiles maximam animorum perturbationem producit; qui a falsorum deorum adoratione ad cultum veri Numinis transeunt. Iudei contra, obstinato magis animo indurati signa querunt atque miracula, ut Christianam sapientiam denique amplexentur.

Iesus vinum assumit ex amphoris Nuptiarum apud Canam, et aquam e vivo Iordanio flumine attingit. Merum autem divinitatem praefert, aqua humanitatem

Ut vero aquam cum vino commixta colorrem eius recipit atque odorem, ita humitas ad divinitatem mirabiliter adsurgit.

Deinde Salvator Patri suo caelesti, in veniam omnium peccatorum, calicem praebet; atque ita pervenimus ad *Offertorium*.

Dum canitur *Hosanna*, Iesus cum angelis atque apostolis ab eorum oculis evanescit.

Sapientia Ignorantiam monet sic sollemnem Iesu Christi pompam memorari, in urbem Ierusalem inter puerorum laetitiam introeuntis.

Hic scena omnino mutatur... Violentissimus turbo omnem aërem tetra nocte involvit... Iudei perterriti e Calvario precipites se proripiunt, nimiisque angoribus dilacerati mortem Domini referunt.

Sapientia inter narrandum perpetuas divinasque interpretationes addit. Ad singulas vero Christi cruciatum partes, hanc vel illam Missae partem respondere monet, incipiendo a transubstantiatione usque ad sanctam Corporis Christi communionem.

Iudei tamen in cordis sui duritie persistunt, etiam quum Jesus iterum postquam resurrexit eis comparet.

Ioannes vero, divino nomine afflatus, solemnis praedicat, turbulentissimis tempestibus denique ablegatis, in portum aliquando eos reduces adventuros, et fore ut et ipsis sereno vultu christiana religio aliquando arrideat.

Et quemadmodum *Liber missae* sub finem iterum ad dexteram partem adfertur, ita, ferente Dei voluntate, novissimis orbis terrarum diebus, Hebrei, antiquis erroribus posthabitis, ad christianam sapientiam auspicatissime redibunt. Quo facto, in supremo iudicii universalis tempore, Salvator vivis mortuisque sententiam dabit, ipsisque supra bona vel mala omina adprecabatur in aeternum duratura.

Tunc omnis actio per incredibilem hominum vivorum tabulam (nos quadri vi-

venti vocamus), clauditur, dum per aërem suavissime volat cantus, quem una voce caelites omnes ovantes renovant.

At Calderon, divino aestuans ingenio, Dei amorem et religionis studium cum litteris perpetue coniunxit. Hoc consilio in suis dramatisbus conscribendis eo unice spectavit, quo sanctius et reverentius Deus coleretur, animosque spectatorum ad sanctitatem vel delectando informaret. Quo nomine et qui actiones suas sacras in posterum recitare cupiunt, primas semper referent, si pietatem colant Deumque in primis amabunt.

I. B. FRANCESIA.

De natura artis quae pulchra appellatur¹

II.

Vulgata est humanarum artium partitio in «mechanicas» et «liberales».

Mechanicae illae artes dicuntur, quae physicarum virium maiorem usum exquirunt et ad bonum corporis ordinantur; liberales vero quae maiorem mentis quam corporis nisum exigunt, et ordinantur ad bonum animae.

Medio, quod dicimus, aevo, doctores cum Martiano Capella² liberales artes ad *Trivium* (Grammatica-Rhetorica-Dialectica) et *Quadrivium* (Arithmetica-Musica-Geometria-Astronomia) reduxere;³ nunc autem liberales artes vulgo illae appellantur, quae alias «pulchrae» et «amoe-

nae» dicuntur, quaeque directe ad pulchritudinem exprimendam ordinatae sunt. Ars itaque pulchra definiri potest: «Recta ratio productiva pulchrorum operum». Pulchrum enim arte factum ab hominum ingenio atque arbitrio tamquam a causa efficienti procedit.

Verum, quo plenior evadat artis pulchrae notitia, prima elementa consideramus oportet, quibus ipsa ars constituitur. Suprema huiusmodi principia dicuntur etiam causae; sunt autem: materia, forma, agens ac finis.

Materia est principium indifferens ad quodlibet constituendum; et dicitur «prima», si in transmutatione formas recepit substantiales; «secunda», si formas accidentales. Atqui materia propria humanae artis est materia secunda, quae, licet determinatam formam substantiale habeat, est indifferens (in potentia) ad formas accidentales, unde arte factum quodammodo ex non ente (ex non praexistenti tali subiecto) fit. Indifferentia materiae secundae non est ad omnes formas accidentales suscipienda, ideoque «non quodlibet ex quocumque, sed diversa fiunt ex diversis materiis». Etenim: «Unumquodque generabilium habet materiam determinatam, ex qua fit, quia formam oportet esse proportionatam materiae».¹

«Excellentior dispositio materiae est principium generationis excellentioris formae».²

Bona autem praeparatio materiae ad formam «est principium educendi formam illam in esse et conservandi educitam».³

* *

Forma est principium determinans subiectum per se indifferens ad hoc vel illud esse. Quum materia indifferens sit ad

¹ Cfr. fasc. superiorem, ubi in pag. 24, col. 2, lin. 25, non scribendum erat *exteriorem*, sed *intiriorem*.

² *De nuptiis philologiae et Mercurii.*

³ Artes liberales una cum mechanicis artibus hoc mnemonicus distichus numerantur:

*Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra:
Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.*

¹ S. THOMAS, *Metaph.*, lib. 12, lect. 2.

² IDEM, *Polit.*, lib. 8, lect. 1.

³ *Ibidem.*

quodlibet compositum, a forma sibi unita determinatur ut sit ex. gr. lignum vel aurum; ut lignum sit statua vel scannum. Forma dicitur substantialis si cum materia prima corpus naturale constitutum tamquam potissima et ultima differentia physica. Formae igitur substantiales tot sunt, quot sunt diversa corpora. Ex adverso, forma accidentalis dicitur si advenit subiecto iam completo in ratione substantiae.

Facile inde innuitur, formam propriam artis pulchrae esse formam accidentalem: «Omnis enim formae artificiales sunt accidentales; ars enim non operatur nisi circa id, quod iam constitutum est in esse perfectum a natura».¹

Quum autem forma sit per quam res quaelibet «tale esse» habeat, sequitur ex forma potissimum pulchritudinis in arte rationem esse desumendam. Eximia forma in arte appellatur *Ideale*. Pariter quia nihil agit, nisi quatenus est in actu, et quia forma est primum quo aliquid est in actu, sequitur formam in arte illud esse, quo primo generatur delectatio in subiecto contemplante.

Denique quia partes ad compositum efformandum uniri nequeunt, nisi proportionem inter se habeant, sequitur formam recipi debere in materiam aptam atque congruentem.

(*Ad proximum numerum*).

Neapol.

G. LEPORE.

¹ IDEM, Opusc. 27, *De principiis naturae*, etc.

Resurrexit!

*Vicit, et e tenebris sese redivivus in auras
Exstulit aethereas
Regnator Ductorque hominum, quem funere diro
Perdiderat Solime,
Infelix Solime! non ulla clade piandum
Ausa movere nefas.
Vicit, et insuetum spectans natura triumphum
Protinus obstupuit.*

*Tunc valles concussae imae silvaeque supinis
Exsiluere iugis:
Immensumque polo liquidumque per aëra visum
Emicuisse iubar;
Credret ut solem ferventes axe profundo
Deproperasse rotas,
Luteolo caelum quae vix dum cooperat Eos
Spargere prima croco.
Deiectum videoas, effultam qui lapis urnam
Obiice munierat:
Aethereique duo nivea cum veste ministri
Adstiterunt tumulo,
Testantes victa reducem de morte, sepulcrum
Quem modo texit iners.
Vos, queis ex illo vitae preecepta beatae
Contigit excipere,
Vos agedum extremas Victoris nomen in oras
Ferte Ducisque decus,
Et qua bacchantes violentia solis arenas
Findit hiulca graves,
Quaque pigris horrens nebulis urgetur iniquo
Hispidia terra siti.
At gentes, utcumque colant vel regna remotis
Abdita litoribus,
Magnarum discent laudum paeonia pronis
Auribus attonitae:
Oppressas erebi fraudes, de morte relatas
Magnifice esuvias,
Et patefacta iterum stellantia limina olympi,
Quo via certa ferat.
Tum illae sese, lux tanta ubi fulserit, ultro
In nova iura dabunt:
Quas uni addicet Regi sanctissima casto
Foedere religio.
Nempe tuis modo quod superest iam laudibus, orbem,
Maxime Victor, habe.*

H. N.

Inventa recentiora latine descripta

Hac nostra aetate non pauci reperiuntur, etiam inter doctos, qui putent antiquatam esse veterum Romanorum lingua, nec significandis hodiernis inventis atque artificiis satis idoneam. Qui tamen ita opinantur, ii longe a veritate aberrant. Inest enim latino sermoni, dummodo eius thesaurus rite fuerit exploratus, tanta verborum copia et eorum tam multiplex sensus, tanta quoque orationis flexibilitas ac

tale robur cum subtili acumine coniunctum, ut nihil a mente humana concipi possit, quod non item apte et perspicue, immo etiam ornate ac numerose, queat latine enuntiari.

Id quum saepe in hoc Commentario demonstratum fuerit, rursus luculenter appetet in Carmine, quod superiori mense Ianuario typis vulgavit L. Rocci, S. I., in celebri Lyceo Mondragonensi prope Romanam literarum doctor. Is enim hexametris CCLXXIII navale describit facinus Aloisii Rizzo, qui paulo ante, singulari audacia, cum paucis classiariis et duobus exiguis lembis, quibus a torpedine nomen, haud veritus est hostilem aggredi vastae molis navem loricatam; idque in ipso hostium portu, plurimis impedito ferreis catenis, globisque subnatantibus, potentissimo partis pulvere nitroto.¹

Iuvat ex hoc Carmine aliquos excerpere locos.

Ac primum quidem videat lector, quam graphicè descriptus sit duplicitis naviculae exitus e portu Venetiarum, et ingressus in mare Adriaticum:

*Tempus erat, quo cuncta tegens velamine nigro
nox atra incumbit suadetque silentia terris,
bellorum opportuna dolis. Tunc littus amicum
Rizzius ac socii linquunt: nullusque fatigat
corda pavor: binis audent incedere lembis
mole perexigua . . .*

*Protinus Adriaci pelagi lata aequora sulcant.
Sidera nulla micant, nusquam inter nubila luna.
Bruma riget, vibratque ferus sua tela December.*

Navigantibus mox obviam fit portus Tergestinus, quo audax militum manipulus penetrare decreverat; sicque pergit poeta:

*Ante sinum valida injecto motimina saxo
occludunt tripli tutum velut aggere portum,
dantque aditus varios; aditus tamen undique cingunt,
vincula firma, octonae ingenti ex aere catenae.*

¹ Prof. L. Rocci. *IV Idus Dec. a. D. MCMXVII, Carmen.* (Ex off. Societatis Ed. Dante Alighieri Mediolani, Romae, Neapoli. - Ven. lib. I).

Tum submissa voce socios hortatur Rizzius, ut haec infrangant « mersi repagula ferri ». Quibus dictis,

*sua protinus apta
corripiunt arma, et gelidum curvantur in aequor
ardentes nautae; manibusque animisque labori
insistunt longo, obscuri sub nocte profunda,
incipiuntque loco duras resecare catenas.
Ultima sunt tandem disiecta repagula portus,
et vi facta via est. . . .*

Sed ecce repente binis naviculis ingens imminet periculum. Ex alta puppi loricatae navis, fulgurans emititur splendor, qui omnem late portum pervagatur, laterbras et insidias quasque detecturus. Improvisam hanc et periculosam lucem, speculis reflexam et multiplici arte dispergit, vividis coloribus auctor noster ita depingit:

*Iamiam navifrago impugnabant impete moles,
cum subito in nautas monstrum ceu fulmen ab axe
exoritur; certaque putant se occurrere morti;
nam procul e speculis fulgores improba mittit
« Vindobona », et longe clarescunt aequora luce.
Machina, quam ab radiis nuper dixerit reflexis,
patribus ignotum portentum ad bellica facta,
utilis est nigrae tenebras depellere noctis:
plurima crystallum referens est lamina circum
mirificis implexa modis radiosque refundens;
estque suas dynamis iungens electrica vires:
illa per immensum cuneato lumine terras
et maria et montes longo distantia tractu
collustrat, ferme iubar ut sol exserit altus.*

Favet tamen sors nautis insidiantibus, qui immoti manent et obscuri, pleni tamen metu, donec vanescente tandem sole hoc arte facto, nox atra suas umbras repetit. Inde describitur tacitus duarum scapharum in portum ingressus, cauta locorum exploratio, detectio vastae et loricatae navis, cui a Vindobona nomen, huiusque repentina aggressio et excidium per formidolosum illud missilium genus, quod a pisce siluro denominatur.

*Rizzius interea nigram in catigne molem
perspicit obiectam, navem referente figura.
Impellit lembum cautus propioraque lustrat. . . .
Dirigit e lembo duplitem funditque silurum.
Hi liquidum recto peragentes tramite cursum,*

*aequoris ex summae vix lecti pondere lymphae,
non plane celeri motu dant posse videnti
explorare iter et finem spectare. Silentes
anxia cura tenet iuvenes: mucrone siluri
Vindobonam trudunt; penitusque revulsa per undas
obruitur fluctu, rapido tum involvitur igne;
fumeus exseriturque vapor; simul omne fragore
immugit caelum, streptu longoque ululatu
respondent cives; sociorum denique voces
laetitia exprimit. . . .*

*Nostrì tunc agmine certo
praecipitem celerare fugam; nondum ultima portus
timina contigerant, cum totam gurgite molem
Vindobonae hauriri cernunt, pressamque ruina
sub pelago immensam occultare in saecula nomen.*

Ex paucis hisce locis, e Carmine Rocchiano excerptis, satis, ni fallor, legenti cuique patebit, quod ostendere in animo erat, optime posse latine describi nuper prima quaeque et ingeniosiora artis inventa. Humana tamen mens utinam ab excogitandis feralibus hisce armis abstineret, et in iis tantum rebus sese exerceret, quae homini prosint, neque in eius perniciem et excidium adhibeantur!

FRANC. X. REUSS.

COMMUNIA VITÆ

Capsa cibos concoquens nuncne primum in usu?

Haud ferme Iosfor nostro, quae eius est humanitas, displicebit, credo, si de capsa cibos concoquente, nunc late in usu, quam ille *peptocistum* sive *peptocistam* latine uno verbo ingeniose nuncupavit, argumentum resumens, contendam eam, longe prius quam Descanelus describeret, in more hominum fuisse. Eius enim memoria vel Cambysis tempore, qui in Persarum regno Cyro patri an. DXXVIII ante Christum natum successit, invenitur!

¹ Cfr. ALMA ROMA, an. IV, fasc. IX, pag. 160.

Veteres historiae tradunt, in amenti illo ac infelici bello, quod rex ipse contra Aethiopes Macrobios suscepit, quum eius exercitus in desertissima regione defecisset militesque alius alium fame compulsi laniarent, carnem cretaceis ollis coquendam committi solere, vixque sufferveret, ad comburenti materiae parendum, in fossis ex aprico sabulo excavatas induci.

Exeunte saeculo post Christum VI, et per dimidium fere succendentis, Ceschamben-Abed-al Melik, postremus Ommiadum in Arabia princeps, ad coercendum immodicum Mahumetanorum suorum luxum summopere intentus, quum familiarum moribus leges asperas atque rigidissimas praeceperisset, quo omne voluptatis genus admireretur omnisque supervacaneus mensarum sumptus, inter huiusmodi cautiones, ollam iussit, pauperibus praesertim adhibendam, « solitariam » (ita enim verbum latine sonat); peptocistam nempe, quae camelorum carnem leguminaque concoqueret, quum homines et mulieres publicis laboribus, aut privatis, sive precibus in templis operam darent. Quorum pultariorum, quae ex spissiore humo conficiebantur ollarie concludebantur inserto, exemplaria, in celeberrima ea veterum vasorum Londinensis musei Orientalium rerum collectione, adhuc servantur.

Malesii quoque ab immemorabili tempore peptocistum hoc neverunt; quo maxime utuntur ad muriem quandam sibi comparandam ex gallo illo *gangegar*, cuius caro exquisitissima gustuque salsa, est item durissima, longamque expedit coctionem, eamque per constantem temperatumque calorem. Malensis peptocista constat ex infundibulo quadam in acacie stipite confosso, ubi, inter exsiccatorum muscorum congeriem, ollam, ad instar ingentis poculi effectam, deponunt, quam, *gangegar* exossato et infracto cum adipibus, aceto aliisque condientibus aroma-

tibus refertam, corticeo obturamento penitus occludunt.

Haud ignotum est huiusmodi rationem Esquimensibus quoque esse communem, qui solent inter ursorum pelles vasa condere, in quibus decoquere inchoarunt focorum atque trichecorum carnes.

Quid plura? Atqui peptocistium et gloriae famam quondam est consequutum, idque Helvetiorum opera. Saeculo nempe xvi, quum Turicenses summo studio contenderent quo Argentoratum, etiamtum liberam civitatem Imperii, in Helveticum foedus adducerent, Argentoratique cives aestuarent atque cunctarentur, nimum inter suas urbes spatium obicientes, per quod difficiliora fierent commercia non minus quam, si opus esset, praesidia et auxilia; ad hos timores tollendos Turicensis quaedam artificum societas, ad quam deinde viri cuiusvis ordinis accessere, rationem molita est, quae efficax magis evaderet, quam ratio quaelibet ex publica auctoritate. Scilicet vas capacissimum, immensum fere urceum, iusculo quodam suo opplerunt, quumque Vulcano ad ebullitionem usque tradidissent, in abiegnia arca inter titivillitia omnino texerunt aptaeque rati imposuerunt in Limat flumine comparatae, unde, remorum vi, Rhenum flu men influerunt Argentoratum usque; cuius in platea publice iusculum suum, efferves scens adhuc, civibus metiti sunt; quibus facile fuit persuasum, Turicum urbem vici niorem esse, quam ut topographi dictarent.

Eventus ab Argentoracensibus solle mni ritu concelebratum est, sollemnioribusque epulis: mensarum in centro, lauro pinoque redimitum ingens vas eminebat.

Licebitne ex peptocistio simul, in prae sentem morem, imo in cultum reverso, et ex hoc eventu, omina pro nostris diebus ad summam agere?...

A. FULCONIS.

HYGIENICAE NOTAE

Pro hemicranio laborantibus.

Redeo ad vos, lectores humanissimi, novus Galenus, et febres iterum molestas repellere a vobis accuratius studebo. Quot enim amici me pressant et clamitantes a me postulant remedium salutare! Ut me aliquo modo ab incredibili aegrotorum vexatione vindicem, dicam singulis inquisitoribus; hodie remedia alacer tantum prae stare incipiam iis, qui ob *hemicranium* capite maxime laborant. Crastina die iis scribam, qui noscere cupiunt, quanto tempore sit pro valetudine dormiendum. Sic turbam aegrotantium, qui me undique stitant, paulisper adimam.

Omnis curari volunt, omnes sanari!

Quam apte in mentem venit quid Titus Livius de equite romano in hostes irrum pente narrat: « Multiplici belli arte latera hostium adgrediebatur, incessebat, impe tebat, ordines perturbabat, acies perfringebat, fundebat, perrumpet, ut redditum paecluderet, interscinderet, impediret...». Quae verborum multitudo atque elegantia, ut adversariorum stragem effingat! In me vero tot irruunt homines valetudinis desiderio, ut salutem curent atque recipient.

Mihi autem est insitum in animo studium afflictis omnino inservire, et illud mente voluto:

Non ignara mali miseric succurrere disco!

— Ehus! tu, quia dsidue hemicranio laboras, et certis statuisse diebus crudeliter insomnia excruciaris et nausea, et vomitu..... Accipe!

Ut dicam minime oportet quid sit iste morbus, quibusve modis in primis vexet... Optime enim noscitur, quomodo saepe incertus quidam dolor a supercilio incipit, et paullo post superne et retro serpens medium caput percudit.

Qui iamdiu hemicranio laborat, ad multas saepe causas vitium hoc conferre debet, quas ego amoris et brevitatis causa ipsis memorandas relinqu. Ergo si tibi est cura hosce omnes adversarios vi repellere ac profligare, eorum primum causam studiose remove. Ut enim vires aliquantulum recipias, si corporis infirmitate cruciari, cura ut vel invitus parcum quidem ac succidum cibum insumas. Si autem ob animi molestias atque immodicum laborem... Quid tibi agendum esse dicam?

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere... salus!*

Recentiores medici ut recipias hortantur, tamquam omnium probatissimum remedium, *antiperinam* quam vocant, atque in varia tempora distributam.

Haec enim medela est efficax in primis, et saepe afferre solet repente solatum.

Si forte in regione versaris noxia, est tibi prae ceteris adhibendus peruvianus cortex.

Quum ob frigus te hemicranium occupet, tunc facile valetudinem recuperaveris, si panniculis e lana calidis suaviter caput cinixeris.

Haec autem molestissima aegritudo saepius omnino beatiores homines afficit, qui dubiis lautisque ferculis in mensis laetantur, cum vinis insuper longo tempore in vinaria cella conditis.

Passim illud Senecae per compita diffunditur: « Morbos si velis cognoscere, numera fercula ».

Novi hominem, qui ab ipsa primaeva aetate usque ad sexagesimum annum com modius vixerat, quin tamen, omnium sententia, intemperans esset aut gulosus; at semel vel bis in mense iis capitibus angoribus cruciabatur, ut quinque vel amplius dies, miserrime in aedibus inclusus, omnium suorum moerore, moraretur. Quum tandem, rebus terrenis posthabitis, ad caelestia unice spectans, in religiosorem fami

liam se conferre statueret, diu multumque dubitabat, num, valetudinis sua anticae causa, perseverare posset. Ut modo ad tempus vires periclitaretur, est in religio nem ingressus. Ab illa ipsa die omnium malorum vestigium evanuit; et ut inter amicos iocose recuperatam salutem annun tiaret, dicere consuevit: « Hemicranium, remota ciborum peregrinitate, ex improviso, tamquam divinitus, abiit, excessit, evasit, erupit ». Ipse senex, septuagenario maior, amicis valetudinem suam integrum admirantibus dicebat: « Quam felicius vi xisse, si hoc commodum remedium antea cognovissem!

O fortunatos nimium, sua si bona norint homines!

Hisce bonis, quae praeter spem mihi evenerunt, utere mecum».

Senis verba in rem meam laetissime mutuabo, et quotquot sunt qui hemicranio laborant, atque hac de causa remedium enixe postulant, responsum habent: « Estote frugales, nimia vos nunquam alimentorum copia ingurgitate, animumque prae ceteris ab omni aegritudine vacuum servate.

Hoc iuvat, haec animi sunt alimenta mei!

Fr. ANACESI.

PRO IUNIORIBUS

De urbanis moribus.¹

Verum aliud genus est officiosorum hominum, qui caeremonias uti artem exercent levitate et vanitate; quumque hae nugae facile percipiuntur, et quandam candoris speciem prae se ferunt, magno studio eas asse quuntur. Et in hisce rerum inaniis sermones omnes consumi vellent, quippe qui non altius sapiunt, quique, si corticem, ut ita dicam,

¹ Cfr. fasc. sup.

demas, nil succi habent; horum autem ingenitum esse numerum reperies.

Alli vero sunt qui, ut malignae et rusticæ naturae velum obtendant, abundant verbis et actibus officiosis, rati se ex hominum consuetudine iri electum, si uti factis, verbis quoque lentuli et rudes essent.

Verum quidem est, ob alterutram causam plerosque in caeremoniis abundare; quae ferme plerisque taedium afferunt; nam non sinunt nos pro arbitrio vivere, sed exiunt libertate, quam imprimis quisque appetit.

Nec de aliis, nec de alienis male loquendum, licet libentes aures praebere videantur auditores invidia moti, qua aliorum bonum honoremque prosequimur. Verum enim vero ut bovem, qui cornu, sic maledicuum qui dente ferit, cuncti effugimus, rati quod de aliis nobis dicit, idem de nobis aliis esse dicturum. Qui vero, quavis re agatur, osores se et inimicos et adversos praebent, eos hominum ingenium ignorare patet; nam et dictis et rebus gestis vincere quisque, non vinci optare consuevit.

Quare qui colloquentium amicitiam gratiāque desiderat, nunquam insurgat dicens: « Longe aliter se res habuit »; vel: « Audite me vera loquentem »; neve sponsione certet. Quinimo alieno iudicio suffragari conabitur, si de minimis agatur; in eiusmodi enim adiunctis victoria nocet. Etenim ineptissimam causam vincens, saepe dilectum amicum perdis, adeoque aliis molestus evadis, ut te uti recusent, ne perpetuas tecum lites exerceant.

Quod si quis lassitus ad contentionem venerit, moderate id faciat, nec inhiet victoriae, sed eius partem cuique permittat. Itaque sive aequa, sive inique iudicio acquiescendum plurimorum, vel etiam eorum, qui importunius instent et contendant, eisque relinquendum in disputationum campo angi atque sudare.

Verum adeo plerique se admirantur, ut ad captandam argutorum sapientumque gloriam hortentur, redarguant, certent et pugnant districto gladio, nullius sententiae, sed suae tantummodo acquiescentes.

Tuum non petenti consilium dare, idem est atque eo te sapientiorem profiteri, eiusque insipientiam ruditatemque redarguere. Hoc igitur ne feceris cuivis tibi noto, sed necessarii tantummodo, iisve quorum imperium aut tutelam geras. Alia quoque causa erit, si nempe cuidam vel ignoto magnum periculum immineat. Sed in communi usu abstineat homo a consiliis perpetuo dandis, quo in errore complures, maxime rudiores, versantur.

Sunt etiam nonnulli sapientiae suaē adeo studiosi, ut decertandum omnino cum illis sit, ni eorum consilia fueris sequutus; quos perpetuo dicentes audias: « Gaudeo; pauperum consilium spernitur »; vel: « Hic nulli morem vult gerere »; et: « Ille mihi aures non praebuit ». Quasi scilicet maioris arrogantiae non sit tuum imponere aliis iudicium, quam suum ipsos sequi.

Haud dissimile illorum peccatum est, qui, veluti censores, aliorum semper vitia corrigit atque corripiunt, et de omnibus sententiam ferunt atque leges praescribunt: « Hoc autem nullo modo est faciendum »; et: « Tu vero hoc dixisti »; et: « Ab hoc faciendo dendoque abstine », etc. Adde, in alieno purgando operam ponere, quorum campus dumis et urticis consitus est; quibus sane molestissima res est aures praebere.

Nemo unquam, licet inimicus, est irridendus; maioris enim contemptus est irrisio, quam iniuria. Namque iniuriae vel ab ira, vel a cupiditate aliqua proficiscuntur; quum nemo sit qui alicui rei, vel ob aliquam rem irascatur, quam nihil omnino faciat. Quare qui iniuria afficitur, hic aliquo in loco habetur; qui irrisione, nullo vel minimo. Irrisio autem est delectatio quam nullo nostro commodo ex aliena verecundia suscipimus.

Male agunt qui corporis vitia exprobrant, imitatione exprimentes balbos, cludos vel gibbosos. Item qui deformem irident, vel gracilem, vel pusillum. Vel qui inepte dictum cachinnis excipiunt, quique delectantur pudore, quem aliis suffundunt. Horum mores detestabiles merito sunt.

Haud dissimiles erunt qui gestant alios irridere et ludificare non per contemptum, sed per hilaritatem.

Qua quidem in re illud interdum accedit, quod per iocum percutienti, quum verbera in contumeliam accipiuntur, ioco in pugnam converso. Ita quem tu per iocum et familiariter ludificas, is scomma in contumeliam accipit atque iram inde concipit. Ad haec ludificatio est deceptio, atque omnibus molestum contingit decipi vel in errore versari.

Illud haud inficiabor, irrisiones persaepe oblectamenti et risus esse causas; quare facetas atque iocosos homines diligimus. Sed multa hac in re animadvertenda erunt, quumque irrisor huc spectet, ut ex errore illius, quem non omnino contemnit, risum eliciat, oportet maxime ut error, in quem hic dicetur incidisse, nullam gravem ignominiam nullum damnum ei irroget, ne irrisiones in iniurias mutentur.

Sunt vero asperi nonnulli, cum quibus nullomodo iocandum.

(*Ad proximum numerum.*)

I. S. P.

ANNALES

Europaeum bellum.

Facile in praecedenti recensione nostra vaticinabamur, Russicam legationem quae pacis foedus a Teutonibus propositum, quippe quod in nimiam vilitatem sibi cedens et ab affirmationibus ante datis alienum omnino, agnoscere renuerat, atque a Brest-Litowsk oppido, quo partes convernerant, recesserat, iri tandem, ex civitatis misera conditione, submissum. Germani enim, quum pacem feriissent cum Ukraino populo, qui Russici quondam Imperii inferiore partem incolit, suique se iuris edixit, nonnullasque Poloniae partes quoque obtinuit, sorte usi intestinae discor-

iae et dimissi Russorum exercitus, hostiliter in horum campum Petropolim versus atque in Finlandiam, Estoniam Livoniāque, et ipsam Poloniā progressi sunt, ita ut Leninianum gubernium praecipitare moras coegerint et a bono quovis iure decidere. Ecquid tamen? Non ideo pedem hostes ab occupatis locis retulere; quinimo, per speciem alienae fungendae vicis, suas imperii cupiditates firmant atque ad Siberiam tendere videntur, sibique caput in Asia comparare. Quod quidem optimè senserunt Iaponii, quibus profecto cordi est ne id fiat, ne ipsi quoque detrimentum capiant: itaque arma et ipsi parare dicuntur, et Sinenses cum iis - ut Germanorum iter per vim coercent. An belli incendium, nedum restinguatur, Europaeorum gentium fines transgressum, per orbem universum brevi flagrabit?....

Res enim stat contra fidentiam verbis tribuendam, quae ne per Februarium quidem nuper exactum mensem defuerunt.

Atque primus Wilsonus, novis litteris ad popularium legatorum coetum civitatis suaē, de orationibus a Teutonibus administris habitis disputavit, pacis fundamenta a se signata explanans strictiusque invocans; sequuti sunt Anglus Georgius et Italorum ad exteris res administer Soninus; quorum alter in dubium revocavit, alter negavit omnino fidem Teutonibus habendam circa eorum de pace protestationes; Hertlingius denique, Germaniae cancellarius, versuta oratione generalibus Wilsoni effatis sese accedere profitetur; tacet vero de specialibus quaestionibus, ad quae disceptanda singulos hostes invitat, quasi hi Russorum, atque brevi fortasse Rumenorum quoque, experientia edocti non fuerint, quam graviter novi Brenni gladius in trutina penset.

Angli interea Iericho in Palaestina potiuntur; at aegre ferendum sibi esse sciunt, et cum iis populi omnes, qui ad humanitatem animum informant, ob pacis Rus-

sicum foedus brevi fore, ut Armenia ceteraque Asiae minoris loca a Russis occupata Turcarum crudeli imperio restituantur.

Interim pariter Teutones in inermes Venetae provinciae civitates, et in ipsam Venetiarum urbem, artis monumentis praedivitem, quaeque universi orbis tamquam sacrum patrimonium colebatur, per ignivomas bolides ex aeronavibus emissas, acerrime furere persequuntur.

O quantam profecto gloriam, posse se quondam hosce triumphos omnibus gentibus ostentare!

**

Regia funera.

Primis superioris mensis diebus regia duo funera nunciata sunt; alterum Abdul-Hamid, callidi illius viri, qui Turcarum *Sultanus*, conspicua quidem sagacia sui populi res moderatus est, donec a factione, quae a Iuvenibus Turcis nuncupata est, imperio fuit remotus; alterum Taitu, Aethiopum iam reginae, cuius auctoritas in Abyssinis regendis apud Menelik, virum suum, pollens potensque fuit.

Kalendas Martii MCMXVIII.

POPLICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Inter res haud prius usitatas, quas bellum nobis hoc tempus adduxit, novissimam nuper legi, **Chartaceas vestes**. Fateor, me nondum intelligere valuisse quamnam utilitatem allatura hae vestes sint, ex ipso chartae pretio, quod ita eundo crescere videmus ut facile vaticinari liceat, ipsum, ni brevi superaturum, aequaturum certe eximiorum panorum valorem. At fortasse vera haec est causa induendi exquisitissimi huius moris; dum enim parsimoniam praedicamus, luxus

impudenter crebrescit; quum umbratilem viam commendamus, exundat effrenatio. Quid? Nonne undequaque in in honestum illum muliebrem cultum occurrimus? Ita ut in cogitationem sim inductus, posse etiam chartaceas vestes in morem invehi, ut... per pluviam, magis quam nunc vulgo fit, huiusmodi vestes corpori adhaereant!...

Ne vero in sordes nos iaciamus; atque exspectantes dum novae vestes sibi auctoritatem comparent, honorem quem texta hue usque praecipue adhibita, sequuta per saecula sunt, paullisper repetamus.

Sericum igitur, Seres, Scytharum populi, a quibus nomen duxisse creditur, invenisse dicuntur. Citatur ad hoc Vergilii versus in II *Georg.*:

Vellera ut foliis depectunt tenuia Seres;

quamquam fuerunt qui autumarent, huiusmodi vellera non e notissimis vermbus confici, sed sua sponte frondibus illarum nasci. Cui opinioni Solinus etiam suffragari videtur, quum scribat, Seres aquarum aspergine inundatis frondibus vellera arborum adminiculo depectere, liquoris et lanuginis teneram subtilitatem humore domantes. Servius autem declarat super II *Georg.*, ubi Maro offendit apud alias quoque gentes lanigeras arbores nasci, scilicet

Quid nemora Aethiopum molli canentia lana?

apud Indos et Seres esse quosdam in arboribus vermes, « qui bombyces appellantur, qui aranearum more fila tenuissima deducunt, unde est sericum ».

Servio suppetias ferre videtur Plinius, quum de bombyce Coa loquitur, scribens: « Et in Co insula nasci traduntur cupressi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terrae halitu animante. Fieri autem primo papiliones parvos nudosque, mox frigorūm impotentia villis inhorescere et adversus hymen tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radente foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his quoque cogi, subigique

unguum carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine », etc.

Bombycinas igitur **vestes** a sericis non distinguunt, quas in filum retorquere atque inde texere in Co insula Pamphilam, Platis filiam, invenisse auctor est Aristoteles in libro *De animalibus*; idemque affirmit Plinius in *Hist. nat.*, XI.

At serici usus tarde omnino ad nos accessit, magnique fuit pretii; nam, uti Vopiscus testatur, Aureliano principe, qui regnare coepit anno circiter p. C. CCLXXIV serici libra auri pondo, id est libra vendebatur; quare is princeps modestissimus nunquam holosericam vestem, quae tota ex serico intexta erat, induere voluit, qua paulo ante primum Romanorum Antonius Heliogabalus, luxuriosissimus ille homo, usus est, auctore Lampridio; quum id temporis tantum in usu esset **vestis subserica**, cuius stamen ex serico foret, trama autem ex alia materia, cuiusmodi pannum imprimis confectum est apud Flandros, quem *Satin* vulgo appellarunt.

Posthac, circiter annum DLV ingens serici copia per totam Europam fieri coepit, quum per idem tempus duo monachi, ut Procopius tradit, vermiculorum semen, hoc est ova, ex Serinda Indiae urbe ad Iustinianum Imperatorem Constantinopolim attulerint.

Factum est autem ex puro serico panni in primis triplex genus, quorum unum vulgo **rasum** dictum est, fortasse quod in eo nullus utrinque esset pilus; alterum **damascum**, floribus intextum, quod Damasco e Syriæ oppido devenerit: tertium **villutum**, id est villosum, quod ex altera parte villos habeat.

Plura si de re cupiveris, benigne lector, haec denique habeas:

Aegyptios **textilia** comperisse, et **Fulлонiam artem** Niceam Megarensem, Plinius (lib. VII et XXVIII) affirmit; lanasque primum Sardibus infecisse Lydos, et « fusos » in lanificio Closterum adhibuisse.

Aurum vestibus intexendi modus apud Attalum primum adhibitus fuisse putatur, unde **Attalicae vestes** dictae sunt (Plin., XXXIII).

Acu autem facere Phryges Idae inventores perhibentur, indeque **Phrygianae vestes** illis nomen.

Atque hodie satis.

**

Locosa.

Rusticus quidam, quum vicini uxoris funus efferretur, ad eum consolandum accessit, et de morte circumloqui volens:

— Doleo — inquit — vicine, uxorem tuam caelos petiisse.

Cui alter:

— Habeo tibi gratias. Utinam idem nunquam tibi accidat!

In via.

— Notusne tibi est ille trapezita? Aiunt eum divitiis pollere.

— Vah!

— Atqui affirmant multa ipsum in praedium collocasse.

— Scrupulos, ecastor!

**

Aenigmata

I

Regium quidam diadema gestat

Miles auratum pariterque calcar,

Temporum vates, bonus et propheta:

Dic mihi quis sit?

Antequam vero moritur, piatur

Fonte sacrato bene candidatus

Itque pro nobis miseris ad ignem:

Dic mihi quis sit?

II

Aut natat, aut volitat: tegit aut sine veritate tignes.

(Aenigmata in superiore fasciculo propria his respondent: 1] *Pindus*, *Pinus*; 2] *Populus*).

IOSFOR.

AD "CARCEREM,,

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

AMBR. Erat mihi haec exornanda provincia,
Fui qui strenuus miles exercitus,
Et pluries pugnis impiger interfui!
Edepol! probe, si nequeam recentia
Ignivoma arma ferre, implere pulvere,
Bonae salutis et glandulis plumbeis;
Nostris quae facerent blanditias ho-
[stibus;

Vel uno brachio docebo gladium....

EUS. Hic morabitur aliquot per tempora
Ad exercitia....

AMBR. Quot me vultis tundere
Verbis, sed potius dicerem verberibus!
Potest Sacerdos gladios et lanceas
Quadam docere, tractare industria,
Quî sint tractandi in acie pulsandi viri,
Armis et hostes odio repellere,
Siet cum placidus mitis et moribus?
Ita sed nostri superiores imperant?...
Et ipsi maximo callent ingenio!

EUS. Est ita prorsus! Nostros ipse dyscolos
Docebit caste vivere et tractabiles....
Nec usque nervis regi vel carceribus,
Erant ut veteres servi inter Barbaros!
Quid hinc? Boni quid acerbis nos ferulis
Aduic portavimus? Quid sed in po-
[sterum?

Mali ingrediuntur nostri huc et dyscoli,
Cito sed exibunt peiores proxime.

AMBR. Ego, pol, mastigia! hos novi omnium
[pessime.

Mille me vexant semper artificiis,
Eorum forte si vel in manus incidam....
Malis habent verbis, turpiter me la-

[niunt;

Trahit qui subdolus vestitus fimbriam,
Qui me molestat, irridet immodice.
Solent sic usque delectari iuvenes.
Et adsunt ipsi, cautus ut procederem,
Meis suos pedes qui inserant gradibus,
Ut anceps leviter cadam velut bos

[humi.

EUS. Sine, nam leves admodum hae mise-
[riae....
Quid? Obtinent quidem nec esse cri-
[mina.
Hic patri pessimam tulit iniuriam,
Et ille matri luctus origo fuit,
Ille marsupium, vitam et hic abstulit....
Et hîc iam negligunt catenas ferreas,
Easque ut teneras frangunt resticulas.
Eos conversos mox in angelos cernimus,
Non *nervis* corii sed *verbis* potius,
Eius qui proxime venit presbyteri,
Deique gratia, sanctorum munere....
Eum monet Rector habeas humaniter,
Tuus qui mos est, et addecet militem,
Olim qui brachiis defendit patriam....
Vale nunc strenue defensor ianuae.¹

SCENA III.

AMBROSIUS solus.

Defensor ianuae, fui qui patriae!
Sic res se mutant, sic mutantur homines....
Scio probe nunc sint quid exercitia,
Modo dederunt mihi quod fastidium.
Eos exercent, erudit virtutibus,
Arte caelesti, quam nesciebant antea.
Callebant ipsi quae dicuntur unice,
In triviis passim pessima per compita....
At, at, venit, ni fallor; monet me sonitus....
Eum volo prius salutare commode,
Ab ipso promptus et paratus dicier.
Eugepe! Honoris nunc est occasio....

(*Ad proximum numerum*).

¹ Exit.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS ME